

NORMAS DEL SANTO OFICIO SOBRE COLABORACION CIENTIFICA CON LOS PROTESTANTES

Ephemerides "Acta Ordinis Fratrum Minorum" 81 (1962) 331 in publicam lucem edit Litteras Rev. mi P. Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum die 28 maii datas ad Superiores dicti Ordinis in quibus Monitum quoddam S. Officii continetur. Litterarum scopus est Monitum praedictum Sti. Francisci Filiis demonstrare eiusque observationem commendare. Est autem documentum praefatae Supremae S. Congregationis S. Officii tenoris sequentis:

Supr. S. Congr. S. Officii
327/58

d. 28 februarii 1962.

"Pluries volumina hic Supremae S. Congregationi S. Officii examinanda exhibita sunt tractantia quaestiones religionem respicientes, propositas sociata opera ab auctoribus catholicis et novatoribus theologis.

Singillatim quaesitum est num liceat in huiusmodi edenda volumina catholicos auctores partem habere et quae servandae sint condiciones.

Omnibus ad rem attinentibus diligenter consideratis SUPREMA haec censet Ordinarios utique licentiam, singillatim manifestandam, dare posse propriis subditis ut operam socient cum novatoribus dummodo sequentes serventur condiciones:

1.—ut manifeste definiteque agatur de operibus conscribendis iuxta superioris scientiae placita;

2.—argumentorum conscriptor proprium notet nomen, addendo respectivam professionem, scil, "catholicus" vel "non catholicus" vel quid simile;

3.—quantum res siverint, praeferatur officina librari vulgo *casa editrice* acatholica, dummodo boni sit nominis integraeque notae:

4.—denique, Ordinario loci fiat facultas inspiciendi scripta non catholicorum vel saltem rerum edendarum summam cognoscendi, ut ipse rectius iudicare valeat de opportunitate atque convenientia consociationis laboris ex parte catholica".

s. s.: A. Card. Ottaviani

a Secretis.